

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Menippus sive dialogorum satyricorum centuria inanitatum nostrativum speculum

Andreä, Johann Valentin

Cosmopoli [i.e. Straßburg], 1618

11. Cosmoxenus

[urn:nbn:de:bsz:31-107424](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-107424)

dientiam, exercitium. *A.* Quæ rei summa est? *B.*
 In nulla re quæ Deus non sit, acquiescere. *A.*
 Quæ corona tua? *B.* Animæ tranquillitas. *A.*
 Malè sit ergo iis, quia dicitur strepitus nos vocant, & fa-
 stigia rerum præceptiunculis suis promittunt,
 ipsi interim pulveris terreni vilissima mancipia.

II. COSMOXENVS.

A. Cosmoxenum paradoxum ecquid vidisti?
B. Ineptum illum? *A.* Nescio: viri boni
 imaginem crederam. *B.* Eadem ratione Men-
 nippi pallium lacerum, & diversorum panno-
 rum assumentis variegatum, perfectam togam
 dixeris. *A.* Itane planè nihil habet ferii? *B.* Trun-
 cus sit oportet, non homo, ne dum humanus, ta-
 lis aliquis Cosmoxenus. *A.* Explica mihi. *B.* Pri-
 mum cælum hoc visibile omne non curet: ho-
 minum conversationem fugiat, sensuum mini-
 sterio non utatur, in extrema rerum indigentia
 triumphet, in otio labores iacet, atque de Chri-
 sti fraternitate mirifica sibi polliceatur. *A.* Annè
 hæc tantopere absurda sunt? *B.* Absurdissima ve-
 rò, qualia nec Aristotelicus vir bonus & felix, nec
 Christianus civis, ad hodiernas prudentiæ, socie-
 tatisque regulas unquam faciet. *A.* Quid si quis
 tale quid attentet? *B.* Siquidem velit esse homi-
 num ludibrium. *A.* Atqui eo vocati sumus, ut
 diversa & ridicula vita mundum in nos irrite-
 mus. *B.* Quem mundum? *A.* Impios intelligo,
 quorum ubique maxima turba est. *B.* Malim ab
 iis omnino abstinere. *A.* Tu vero quam causam
 credis,

credis, quod cum Christiani neminem offendant, ridiculi tantum sint & commiserabiles, odio tamen atque extremo habeantur. *B.* Atqui ego negligi tales credidi. *A.* Nequaquam, sed maxime exagitari; scilicet quia astutissimus Sathan intelligit, sub hac Christiana stultitia, & ridiculis laciniis magnum contra ipsum robur latitare. *B.* Atqui tale quid non animadverti hactenus. *A.* Observabis ergo posthac: in latrones, adulteros, raptos, effractores, tumultuarios nunquam tanta sollicitudine inquiri, ac in silentes, castos & pacificos. *B.* Mira sunt. *A.* At verissima: nam ubi primum diversum vitæ institutum, quantumvis innocentissimum elucescit, ibi iniquissimis suspicionibus, dein calumniis, denique persecutionibus datur locus. *B.* Quid si idem libellus iste expertus sit? *A.* Tu videris, mihi interim persuasum est, nec Cosmoxenos facile dari, nec Cosmopolitas modestos, sed mera Mundi inquinamenta & onera.

12. FRATERNITAS.

A. DE fraternitate illa, quæ vulgo circumfertur ecquid sentis? *B.* Minus magnificè. *A.* Annè etiam nomen obtulisti, atque frustra? *B.* Non ego ad id passim video multis obtingere. *A.* Quid ergo, an esse tales aliquos credis, an curiosorum ludibrium? *B.* Vix dixerim: nisi quod male me habet tor viros bonos spe sua, & insolita expectatione excidere. *A.* Id nempe debatur, quibus præ simplici via Christi artificiosa